Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

nisti. Que securitatis gratie in hoc solitudinis horrore non timui
isti remanere. Et itaque venire desiderasti. At ille ait: Quarum me
numerositate septum vides ad beati galli patrocinia multo iam ex
tempore pervenire cupiebam. Sed ecce hi quorum me labore illuc
deferri sperabam, in longitudine vie fatigati me miserum in hac
solitudine reliquerunt, fame cruciandum et bestiis lacerandum.
His ille questibus pro passione ad misericordiam flexus, puerum humeris
impositum per unum miliarium portavit ad monasterium. Quem
deinde fratri cui suscipiendorum pauperum cura commissa est assumens,
congrua mansione refovit. Nocte itaque quadam cum ad noctur-
nas vigilias qui simul suscepti fuerant ad ecclesiam festinanti-
bus, cepit idem puer omnes adtente exorare ut ad basilicam de-
ferretur. Cunctis autem id quod petebat denegantibus, cepit crebris
beati galli nomen invocare clamoribus, deinde horribilius perstrepere,
ita ut non parvum audientibus terrorem ingereret. Itaque quibusdam
ut causas angustiarum eius agnoscerent intendentibus, sanus inventus
est et cum gratiarum actione ad ecclesiam properavit.

Puellam paralysi multo tempore laborantem ad monasterium
detulerunt beati galli. Que in ecclesiam deportata, ad lec-
tionem evangelii que in noctibus secundum consuetudinem regularis of-
ficii recitatur, excubiis circa astantes ut se aliquantum sustollerent
et inter manus sustentarent cepit rogare. Cumque sublevata fu-
isset, dimitti se postulavit. Illis autem id facere metuentibus ne
forte casu subito lederetur, valere se confirmavit. Igitur dimissa per se
stetit, ac deinceps toti corporis recepto vigore sana recessit.

Cuidam patrisfamilias non longe a monasterio commanentis
ancille dum subito sue domus ianuas aperiret, turbo venti pul-
verem levavit et in oculis percussit. Statimque crescentibus tenebris
paulatim visus decrevit, donec horrendis tenebris cingeretur. Hec
ad ecclesiam beati galli perducta cum eius suffragia primo ingressu
devotissime precaretur, recepto quod amiserat lumine recessit.

Non multo interiecto tempore dum festivitas octave epipha-
nie annuo celebraretur officio, cunctis tempore sacrificii ad
ecclesiam convenientibus luminaria et candele incendebantur ex
more. Una autem candela sine lumine inter ceteras ardentes dimis-
sa, inter sacre misse sollempnia principalis, primo cepit paulatim
fumo tenui vaporare, deinde videntibus non paucis flammam con-
cipiens et ceteris clarius rutilans, signum effecit splendoris singula-
ritatem commendavit.

Vir quidam de natione scotorum
quibus consuetudo peregrinandi iam pene innatam conversa est, quidam ad-
venientes unum e suis comitatoribus multiplici peste percussum in eo-
dem monasterio dimiserunt. Qui cum aliquantis ibidem moraretur diebus
et cottidie infirmitatis sue remedium fide plena deposceret,
nocte quadam sibi per somnium vidit assistere gestu et habitu vene-
randum. Quem quis esset perquirens, beatum gallum perdidicit. Et prius
ad illum. Cuius inquit domine toto me corpore dissolutum, miraculorum tu-
orum cottidie abundantiam prestolari. Noli ergo quod te aliquando credo
facturum differre diutius. Ad hoc enim huc usque me reservatum esse
cognosco, ut sicut barbaris virtus tua latissime claret, ita et
gentis tue hominibus miraculorum tuorum fulgor innotescat et claritas.
Scis ipse in qua a natali solo quam longe disiunctus quanta vi

peregrinationis angustias et corporis debilitate sim compertus.
Succurre citius, opitulare quantocius. Cuius motus querimonia vultu
placido paucis verbis ita respondit. Die mortalibus reddita ec-
clesiam petito, et videbis divino te sublevari consilio qua patre
uteris patrocinii solatio. Hanc autem sanctus summo animi gestientis
ardore ad basilicam properat et iuxta tumulum beati galli promis-
sionis memor precibus insistit. Post orationem vero et lacrimas angulo
sarcophagi adnixus, cepit se sensim erigere, nec prius lecti angustiam
cui innitebatur deseruit, quam stans erecta et accepto robore per se
ire et redire potuisset. Qui tempore procedente plena sanitate
donatus in eodem monasterio precibus et sancte vite studio deserviens
hactenus conversatur.

Hec de copiossima
segete beati galli virtutum memorie horreis grana libuit
commendare et nostris et aliorum partibus profutura. Poterunt enim hec pluri-
mum diligentibus iustitiam edificationis conferre, que et morum hone-
statem insinuant et ad laudem dei qui ita sanctos suos glorificat devo-
ti lectoris animum vel auditoris inflamant. Ceterum tot et tanta
sunt eiusdem sancti patris miracula, ut ne facile a bonis scriptoribus propter
copiam sui possint comprehendi, nec a fastidiosis lectoribus sine tedio
et rugata fronte percurri. Iam vero huic operi tanta inserta sunt,
que et vacuum relatione testium veritatem custodiant, et moderata brevi-
tate nullius quoniam inutilia nausiantis mentem offendant.

Obsecramus itaque te beate galle christi confessor, ut sicut sanitatem
corporum in totis tuis multis te contulisse retulimus, ita nostris
mentibus divine miserationis medela implorare digneris.

De sancto Eulogio et leproso

Eulogius scolasticus erat eruditus vir, qui amo-
re divino corde compunctus abrenunciavit
rebus urbium, omnemque substantiam suam distribuit et
erogavit pauperibus sicut scriptum est: Dispersit de-
dit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, et in evangelio dicen-
te domino: Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Itaque pau-
cos denarios in usus proprios reservavit, cogitans apud semetipsum
quod operari propriis manibus non prevaleo, nec in monasterio congregatione
ingredi possum. Invenit ergo quendam in platea iacentem leprosum, qui nec
manus habebat nec pedes, cuius tantummodo lingua vigebat.
Stans autem eulogius prope eum oravit dominum, et posuit quasi pactum
cum domino dicens: Domine in nomine tuo levabo hunc leprosum in domum meam,
et ministrabo ei, et repausabo eum usque ad mortem, ut propter hunc et
ego inveniam apud te misericordiam. Dona ergo mihi a te domine patientiam ad
huius obsequium. Et accedens ad leprosum dixit ei: Si vis pater susci-
piam te in domum meam et repausabo te. At ille respondens dixit:
Si dignus fuero gratias ago. Adduxit ergo asinum et levavit eum, et per-
duxit ad domum suam, et adhibebat ei curam diligenter. Ita per an-
nos xv gubernabatur et accipiebat curam de manibus eulogii,
et condigne nutriebatur. Post xv autem annos insidiatus est ei di-
abolus, et cepit clamare contra eulogium et tantis iniuriis et detractionibus
afficere virum. Dicebat enim ei multa mala. Fugitive, forsitan
domini tui alienas pecunias furatus es, et per me vis a peccatis li-
berari. Et clamabat: Iacta me in plateam ubi ante iacebam, car-
nes desidero comedere. Hoc cum audisset eulogius, obtulit ei